

niter admittunt theologi delectationem indirectè solummodò volitam, levitatem materiæ pati posse : v. g., aliquis vacat rei venialiter malæ vel illicitæ, ex quâ prævidet nascituras carnis commotiones quibus non assentiet, et sufficientem non habet rationem eas permitendi, mortaliter non peccat. Quidam dicunt peccatum in eo casu non fieri veniale defectu materiæ, sed defectu consensûs.

R. 4<sup>o</sup> Delectatio venerea directè volita considerari potest in conjugatis vel in solutis : in conjugatis, est licita, modò in ordine ad actum conjugalem habeatur; si verò extra actum conjugii circa solum conjugem et absque gravi periculo incontinentiæ percipiatur, est duntaxat peccatum veniale, juxta communem sententiam, quia ex se tendit ad rem licitam : hoc alibi expendemus.

Quæstio igitur ad hoc reducitur, an, scilicet, delectatio venerea directè et extra matrimonium volita, levitatem materiæ admittat.

Communissimè tenent auctores, contra *Caramuel* et admodum paucos alios, talem delectationem nunquàm esse peccatum veniale defectu materiæ, et sequentibus nituntur momentis : 1<sup>o</sup> auctoritate Alexandri VII, qui, anno 1664, sequentem damnavit propositionem : *Est probabilis opinio quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensûs et pollutionis.* Per delectationem carnalem ordinariè intelligitur delectatio venerea, et eo sensu propositio fuit con-

demnata : non igitur probabile est talem delectationem in minimo gradu esse tantum peccatum veniale. 2<sup>o</sup> Ratione : ita corruptione nostrâ in vitium luxuriæ trahimur, ut minima causa magnos sæpè producat effectus; supposito igitur consensu directo in delectationem veneream, proximum semper incurritur periculum ulterioris consensûs vel pollutionis, quod in aliis vitiis non eodem modo accidit. Undè P. *Aquaviva*, generalis societatis Jesu, omnibus religionis sibi subditis, sub pœnâ excommunicationis prohibuit ne unquàm recederent in docendo à sententiâ quæ tenet delectationem veneream levitatem materiæ non admittere; ergo, etc.

Hinc in motibus carnis etiam casu excitatis liberè delectari, peccatum est mortale.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### DE SPECIEBUS LUXURIE NATURALIS CONSUMMATÆ.

Luxuria dicitur naturalis, quando humanæ naturæ, seu propagationi generis humani non adversatur. Est igitur carnalis viri et mulieris conjunctio, modo generationi apto, sed extra matrimonium. Consummatur per effusionem seminis viri intra vas naturale mulieris.

Semen autem est humor viscosus ad generationem et speciei conservationem ab ipso creatore destinatus. Essentialiter differt ab urinâ quæ est secretio alimentorum, et in sublevamen naturæ ejicienda est sicut excrementa.

Sex numerantur hujus luxuriæ species distinctæ, scilicet fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus et sacrilegium, de quibus seorsim dicendum est.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De fornicatione.*

Fornicatio est copula soluti cum solutâ non virgine, ex mutuo consensu.

Dicimus 1° *soluti*, id est, qui nullo speciali vinculo conjugii, cognationis, affinitatis, ordinis sacri aut voti, à culpâ prohibetur, sed solo castitatis præcepto. 2° *Cum solutâ non virgine*, ut simplex fornicatio à stupro, de quo mox agemus, secernatur. 3° *Ex mutuo consensu*, quibus verbis fornicatio à raptu distinguitur.

Triplex est fornicatio, scilicet fornicatio simplex, concubinatus et meretricium; de quibus in triplici paragrapho.

## § I. — De simplici fornicatione.

Simplex fornicatio ea est quæ transitorie cum unâ aut pluribus exercetur.

Nicolaitæ et Gnostici, impuri priorum seculorum hæretici, variis rationibus innixi, dixerunt simplicem fornicationem esse licitam; *Durandus* tenebat eam jure naturali esse duntaxat peccatum veniale, et solo jure positivo peccatum mortale; *Caramuel*, ulterius progrediens, dicebat illam intrinsecè non esse malam, sed tantum lege positivâ prohibitam.

## PROPOSITIO.

*Simplex fornicatio est intrinsecè mala et peccatum mortale.*

PROB. Hæc propositio, ab omnibus moraliter christianis admissa, probatur Scripturâ sacrâ, testimonio Patrum, auctoritate conciliorum ac summorum Pontificum et ratione.

1° Scripturâ sacrâ: inter multos textus, qui afferri possent, aliquos tantum seligemus. I. ad Corint., 6, 9 et 10: *Næque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri... regnum Dei possidebunt*: ad Gal., 5, 19 et 21, ut suprâ: ad Eph., 55: *Hoc scitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus... non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*. B. Joannes in Apocalypsi, 21, 8, dicit partem fornicatorum futuram esse *in stagno ardenti igne et sulphure*. Certè fornicatio in his textibus exhibetur ut intrinsecè mala, sicut immunditia, adulterium, idolorum servitus, et tanquam peccatum mortale; ergo 1°, etc.

2° Testimonio Patrum: S. Fulgentius, Epist. 1, cap. 4. *Fornicatio nunquam potest esse sine gravi peccato*. S. Chrysost., homil. 22 in II ad Corint.: *Quoties scortatus es, toties condemnasti teipsum*; ergo 2°, etc.

3° Auctoritate conciliorum ac summorum Pontificum: concil. Viennense, *Clement. l. 5, tit. 3, cap. 3*, hanc Beguinorum propositionem damnat: *Mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; actus autem*

*carnalis, cum ad hoc natura inclinēt, peccatum non est, maximè cum tentatur exercens.* Concil. Trid., *sess. 24, cap. 8, de refor. matr.*, declarat concubinatum esse grave peccatum; atqui concubinatus non est nisi fornicatio cum eadem personâ repetita.

Innocentius XI sequentem damnavit propositionem Caramuelis, anno 1679: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur; ergo 3º, etc.*

4º Ratione: copula carnalis licita esse non potest nisi in ordine ad prolem; ad solum quippè hunc finem instituta fuit; porrò non sufficit prolem utcumque nasci, sed insuper nutrienda, fovenda, educanda et instruenda est: hinc parentes, naturâ duce, plura implere tenentur officia quæ saltem longam cohabitationem supponunt. At simplex fornicatio his officiis evidenter adversatur, cum ex naturâ suâ sit actus transitorius, et ita congregantes nullo vinculo ad cohabitationem teneantur; ergo est intrinsecè mala.

Præterea, bonum societatis à rectâ institutione familiarum pendet; recta autem institutio familiarum matrimonium supponit; ergo simplex fornicatio, quæ matrimonii jura, officia et commoda dissolvit, ex naturâ suâ graviter mala est; ergo, etc.

Fornicari autem cum infideli aut hæretico gravius est peccatum, ratione opprobrii exindè in veram religionem redundantis.

*Dices 1º: Deus præcepit Oseæ, c. 1, v. 2, ut sibi sumeret uxorem fornicationum; et in Act. Apost., 15, 29, fornicatio eodem modo prohibetur ac esus immolatorum, suffocati et sanguinis; ergo fornicatio non nisi jure positivo mala est.*

*R. Nego conseq.* Etenim, 1º Deus præcepit Oseæ, non ut fornicaretur, sed ut mulierem fornicariam sibi assumeret in uxorem, quod valdè diversum est. 2º Fornicatio expressè ab Apostolis prohibetur, quia gentiles arbitrabantur illam esse licitam; verùm in Actibus non dicitur illam jure divino et naturali non prohiberi; in veteri lege pluries jam prohibita fuerat: 1º sexto Decalogi præcepto; 2º puella quæ à virginitate deciderat, lapidibus obruebatur, *quoniam fecit nefas in Israël (Deut., 22, 21)*; 3º dixerat Deus per Moysen: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël (Deut., 23, 17)*; ergo, etc.

*Dices 2º: Qui libero consensu fornicantur, nulli faciunt injuriam; ergo rem ex naturâ suâ malam non operantur.*

*R. Nego conseq.* Non ideò enim fornicatio mala est quia injuria alicui infertur, sed quia ordo à Deo institutus violatur; ergo, etc.

*Inst.* Melius est proli per fornicationem nasci quàm nullo modo esse; ergo reipsâ ordo à Deo institutus non violatur.

*R. Nego conseq.* Jam enim ostendimus non sufficere, in intentione Creatoris, ut proles nascatur. Aliundè ratio hic allegata probaret adulterium esse licitum; nam melius est proli

per adulterium nasci quàm nullo modo esse; ergo, etc.

Ad fornicationem referuntur meretricium et concubinatus, de quibus paucis verbis aliquid dicendum est.

§ II. De concubinato.

Concubinatus est commercium soluti cum solutâ, qui sive in eâdem domo, sive in diversis domibus maneant, modo uxorio secum vivunt.

Certum est concubinatum sic intellectum gravius esse peccatum quàm simplicem fornicationem, propter habitualementis dispositionem peccandi, ac proindè hanc circumstantiam aperiendam esse in confessione.

Graves decernuntur poenæ adversus concubinarios in conc. Trid., *sess. 24, c. 8, de reform. matr.*, et adversus clericos huic vitio turpiter deditos, *sess. 25, c. 14, de reform.*; sed illæ poenæ sunt ferendæ sententiæ, et plures ex eis nunquàm admissæ fuerunt in Galliâ, v. g., ejectio concubinarum extra urbem vel extra dioecesim, *invocato, si opus fuerit, brachio seculari*. Non ideò tamen malum istud judicatum est minùs grave apud nos quàm apud extraneos.

*Queritur* an concubinarius priùs absolvi possit quàm concubinam dimiserit.

R. 1º Si concubinatus fuerit publicus, nec concubinarius, nec concubina regulariter absolvi possunt, quantumvis appareant contriti, ante publicam separationem, quia, præter discrimen fugiendum, necessaria est satisfactio

scandalo proportionata; porrò hæc satisfactio per solam separationem communiter obtineri potest.

Indè plures auctores concludunt, eum qui reputatur concubinarius, licèt talis nunquàm fuerit, aut à multo tempore cessaverit, nihilominus teneri, propter scandalum, ejicere vel deserere mulierem de quâ pessima celebratur fama. Sic *Billuart, t. 13, p. 351*.

Id autem multò magis verum est ubi agitur de clericis, qui famam sedulò servare debent; eam enim semel læsam reparare nequeunt, nisi omne consortium cum muliere suspectâ statim abrumpendo.

Dixi *regulariter*, quia si concubinarius, in extremis positus, mulierem dimittere non possit, aut si adeò sit derelictus, ut, eâ dimissâ, neminem habeat sibi necessaria præstare volentem, tunc absolvendus et ultimis Ecclesiæ sacramentis muniendus est, modò verè contritus judicetur, et coram astantibus promittat se ad sanitatem reditum, eandem mulierem ejectionum, nullaque cum eâ societatis vincula habiturum: in tali quippè necessitate scandalum eo reparatur modo quo reparari potest; nemo enim ad impossibile tenetur.

*A fortiori*, ministranda sunt Ecclesiæ sacramenta concubinæ de vitâ præteritâ dolenti, cum firmo proposito non peccandi de cætero, si domo concubinariï exire non possit, vel quia acerbiores sunt ejus dolores, vel quia imminens est periculum, vel quia nullum habet refugium.

Verùm, his casibus exceptis, semper exigenda

est separatio, etiam in extremis, et confessio moribundi non prius audienda est, quam Deo et hominibus data fuerit satisfactio per mulieris ejectionem vel per voluntarium ejus exitum.

R. 2° Si verò concubinatus sit occultus, vel commercium jam cessavit, vel non: si prius, fortiter consulenda est separatio, quia moraliter impossibile est in cohabitatione istâ aliquod non existere relapsus periculum. Sed arbitramur illam sub denegatione absolutionis exigendam non esse, præsertim si prævideatur scandalum, infamiam aliudve grave detrimentum inde secuturum. Supponimus propositum amplius non peccandi judicari sincerum, et spem firmitatis affulgere. Itâ *Navarrus, Billuart, S. Ligorius* aliique plures.

Si autem, non obstante proposito, novi accidunt relapsus, absolutio differi debet, et ordinariè præscribenda est separatio: tunc enim perseverantia meritò judicatur improbabilis.

At si commercium illicitum nondum fuerit voluntariè revocatum, quid agendum est?

R. 1° Si pœnitens in extremis positus sit, et peccata sua detestetur, absolvendus aliisque sacramentis muniendus est, juxta conditiones modò expressas, in explicatione verbi *regulariter*, seclusâ tamen promissione coram testibus.

R. 2° Si verò mors non immineat, pœnitens in concubinato occultè vivens, communiter absolvi non debet, nisi prius facta fuerit separatio; versatur enim in occasione proximâ peccandi: at grave existit præceptum naturale et divinum fugiendi occasionem proximam pec-

candi. Undè Alexander VII sequentem damnavit propositionem: *Non est obligandus concubinariis ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum vulgò REGALO, dum, deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur.* Ibi supponitur adesse propositum non peccandi, et tamen falsa judicatur propositio, ob periculum existens; ergo, etc.

Dixi *communiter*: sunt enim casus in quibus impertienda est absolutio sub solâ promissione separationis, vel etiam cum solo proposito non peccandi de cætero; nempe, 1° si pœnitens ex singularibus indiciis verè contritus judicetur, et primâ vice vel secundâ promittat se monito cessurum; 2° si ex denegatione absolutionis, gravis sequeretur infamia vel grave scandalum, ut si puella in suspicionem corruptelæ veniret, nisi ad sacram synaxim accederet, aut si sacerdos populum offenderet, nisi missam parochialem celebraret. Supponitur adesse veram contritionem. 3° Non exigenda est separatio quandò est impossibilis, ut si filia familiâs cum famulo, vel filius cum ancillâ domûs paternæ peccet. Qui sic constituti sunt, dilatione absolutionis primò probentur, et si occasio ex proximâ facta fuerit remota, atque sincera videatur peccati retractatio, danda erit absolutio. 4° Quandò duo concubinariis, occulti, vel de impudicitia tantum suspecti, separari non possunt sine gravi periculo infamiæ aut scandali, fortè licet emendationem eorum tentare, pri-

mum absolutionem differendo, deindè eam concedendo, si in proposito perseverent. Dicit *Billuart, t. 13, p. 352*, se in eo casu nec poenitentem nec confessarium damnare velle : nec nos rigidiores essemus.

§ III. — De meretricio.

Meretricium considerari potest ut status vel ut actus. Ut status, est conditio mulieris omnibus paratæ et communiter venalis : ut actus, est concubitus viri cum tali muliere, vel talis mulieris cum viro occurrente.

Certum est mulierem meretricium exercentem gravius peccare quàm simpliciter fornicantem aut etiam concubinariam, ratione dispositionis animi, scandali et nocuenti prolis. Undè meretrices semper habitæ sunt ut speciei humanæ fæx et opprobrium. Non sufficit ergo ut meretrix dicat in confessione se toties fornicatam esse; statum meretricii declarare debet.

At *Sylvius, Billuart, Dens*, alique theologi docent ut probabilius virum, qui cum meretrice fornicatur, hanc circumstantiam declarare non teneri, quia, cæteris paribus, talis fornicatio respectu ipsius gravior esse non judicatur.

Non videtur inutile hîc referre quod in *Codice pœnali* circa corruptores statuitur :

« Quiconque aura attenté aux mœurs, en excitant, favorisant ou facilitant habituellement la débauche ou la corruption de la jeunesse de l'un ou de l'autre sexe au-dessous de l'âge de vingt et un ans, sera puni d'un emprisonnement de six mois à deux ans, et d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs.

« Si la prostitution ou corruption a été excitée, favorisée ou facilitée par leurs pères, mères, tuteurs ou autres personnes chargées de leur surveillance, la peine sera de deux ans à cinq ans d'emprisonnement, et de trois cents francs à mille francs d'amende. *Code pénal, art. 334.* »

Insuper si rei sint tutores, per aliquod tempus à iudicibus interdicuntur tutelâ et omni participatione consiliis familiæ; si sint pater aut mater, iuribus à Codice civili sibi adscriptis, l. 1, t. IX, privantur. *Ibid., art. 335.*

*Queritur* an meretrices tolerare liceat.

R. Duplex hâc de re est theologorum sententia. Multi namque dicunt id licitum esse ad vitanda majora peccata, scilicet, sodomiam, bestialitatem, mollitiem et honestarum mulierum seductionem : *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*, inquit S. Aug., *De ordine, l. 2, cap. 4, n° 12 (t. 1, p. 335)*. Idem habet S. Thomas, *Opusc. 20, l. 4, c. 24*, cui adhærent auctores non pauci.

Alii verò multi oppositam sententiam tuentur, asserentes experientiâ constare tolerantiam meretricum occasionem ruinæ multis juvenibus præbere, flammam libidinis excitando, sicque peccata luxuriæ potiùs multiplicare quàm rariora efficere. Vide hâc de re *Concina, t. 15, p. 238, et S. Ligorium, l. 3, n° 434*.

Quamvis posterior sententia probabilior nobis videatur, arbitramur tamen absolvendos esse magistratus urbium qui bonâ fide asserunt se malum istud tollere non posse : in dubiis namque non confessarii est decernere quid agere debeant ii quibus difficilia commissa sunt negotia, ut sunt iudices, magistratus, duces exercitûs, reges aut ministri, etc.

An domum meretricibus locare liceat, expendimus ubi de locatione, in tractatu *de Contractibus*, t. 6, p. 360, 6<sup>a</sup> edit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De stupro.*

Stuprum generatim est omnis concubitus illicitus : sic in libro *Lecitici*, 21, 9, et *Num.* 5, 13, concubitus filiae sacerdotis et adulterium eo nomine vocantur. Si per vim cuivis inferatur, in hac diocesi est reservatum, ut fert *Enchiridion*, p. 7, et in foro civili poenâ reclusionis plectitur. (1)

Stuprum verò, quatenus speciale est vitium, à multis definitur *violenta*, et melius ab aliis, *illicita virginis defloratio*.

Per virginem hic non intelligitur persona quæ contra castitatem nunquam peccavit, bene verò ea quæ carnis integritatem servavit, et signaculum virginitatis habere dicitur. Quanti hæc carnis integritas apud omnes æstimetur, nemo nescit.

(1) Quiconque aura commis le crime de viol ou sera coupable de tout autre attentat à la pudeur, consommé ou tenté avec violence, contre des individus de l'un ou de l'autre sexe, sera puni de la réclusion. *Code pénal*, art. 331.

Si le crime a été commis sur la personne d'un enfant au-dessous de l'âge de quinze ans accomplis, le coupable subira la peine des travaux forcés à temps. *Art.* 332.

La peine sera celle des travaux forcés à perpétuité, si les coupables sont de la classe de ceux qui ont autorité sur la personne envers laquelle ils ont commis l'attentat, s'ils sont ses instituteurs ou ses serviteurs à gages, ou s'ils sont fonctionnaires publics, ou ministres d'un culte, ou si le coupable, quel qu'il soit, a été aidé dans son crime par une ou plusieurs personnes. *Ibid.*, art. 333.

Certum est violentam virginis deflorationem, præter castitatis offensionem, gravem involvere malitiam injustitiæ, in confessione necessario aperiendam; quæ enim puella honesta non præferret grandem pecuniæ summam amittere, quàm sic deflorari? ergo, etc.

Si contingeret virum à perditis mulieribus in crimen per vim adduci, hoc esset stuprum aut quid simile, in confessione certò declarandum. Verùm cum factum istud vix possibile sit, de solo puellæ stupro agemus.

Nomine violentiæ, non solum vis physica intelligitur, sed vis moralis, quales sunt metus, fraus, preces importunæ, magna promissa, blanditiæ, tactus et ea omnia quæ, ex judicio viri prudentis, puellam inexpertem ad vitium determinant.

An autem stuprum virginis, in deflorationem suam liberè consentientis, speciale sit luxuriæ peccatum, à simplici fornicatione distinctum, non ejusdem sententiæ sunt theologi: *D. Soto*, *Sanchez*, *Lessius*, *S. Ligorius* et plures alii negant; fatentur tamen hujusmodi fornicationem aliquandò speciale esse peccatum, ratione infamiæ, mœroris parentum, rixarum, odii, scandali, etc.

Alii verò multò communiùs, inter quos *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Sylvius*, *Collet*, *Billuart*, *Dens*, dicunt eam, ratione sui, specialem habere malitiam castitati oppositam, suamque sententiam sic probant: 1<sup>o</sup> injuria parentibus puellæ, sub quorum custodia integritas ejus posita est, infertur; 2<sup>o</sup> ipsa evidenti

se exponit periculo conveniens matrimonium non inveniendi, sicque contra prudentiam peccat; 3<sup>o</sup> *Ponitur in viâ meretricandi, à quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret*; sunt verba S. Thomæ, 2, 2, q. 154, art. 6; 4<sup>o</sup> peccata per oppositionem ad virtutem specificantur: porro virginitas specialis est virtus, et carnis integritas est bonum ad hanc virtutem singulariter pertinens; ergo, etc.

Ultimæ illæ rationes nec consensu puellæ, nec consensu parentum ejus destruuntur: unde ruit ratio fundamentalis defensorum alterius sententiæ, scilicet, axioma istud apud omnes receptum, *scienti et volenti non fit injuria*: quippè necesse est ut sciens et consentiens habeat facultatem jus suum cedendi; jus autem istud puella non habet in ordine ad peccatum virginitati oppositum. Peccatum enim de quo hic agitur non est distinctum ob injuriam vel injustitiam, sed ob specialem inordinationem, quia scilicet speciali opponitur virtuti.

Stuprum igitur, etiam voluntarium, speciale est luxuriæ peccatum: cum autem concil. Trid. definierit, *sess. 14, can. 7*, necessarium esse, jure divino, declarare in confessione *circumstantias quæ peccati speciem mutant*, hinc altera exurgit quæstio, ad praxim continuam pertinens, an videlicet, qui stupri voluntarii sunt rei, sive facto, sive desiderio, sive delectatione, circumstantiam virginitatis aperire teneantur. Communius affirmant theologi, hancque necessitatem habent velut consecrarium principii semel admissi.

*Quia tamen, inquit Sylvius, t. 3, p. mihi, 835, alia sententia non caret probabilitate, idcirco non putamus damnandos eos, qui à puellâ quidpiam istorum confitente non quærunt, an sit virgo, an corrupta.*

*Billuart et, apud ipsum, t. 13, p. 357, Wiggers, Boudart et Daelman, contendunt, circumstantiam virginitatis in voluntario stupro specialem addere malitiam simplici fornicationi, sed duntaxat venialem, quæ igitur non necessariò aperienda est in confessione. Etenim si hæc malitia ex naturâ suâ mortalis esset, maximè quia puella sigilli virginitatis fractione in viâ meretricandi, ut ait S. Thomas, constitueretur, vel quia gravis injuria parentibus ejus inferretur. At puella hoc facto non videtur constituta in proximo meretricandi periculo: et si, parentibus consentientibus, vel plenè ignorantibus, in stuprum liberè consentiat, tunc gravis injuria ipsis non infertur; ergo, etc.*

Præterea, si hæc malitia specialis stupri voluntarii semper esset mortalis, puella de delectationibus venereis se accusans, dicere teneretur an sit virgo necne, proindeque occasione peccati merè interni et forsan dubii, aliquo modo confessionem generalem facere deberet. Similiter vir, qui mulierem concupivit, obligaretur declarare an illam judicaverit virginem vel corruptam; et si tacerent, onus eos interrogandi confessario incumberet: porro hoc intolerabile foret, et communi poenitentium ac confessoriorum praxi adversatur.

Insuper, auctores generatim docent circum-



stantiam virginitatis in viro liberè peccanti, malitiam mortalem simplici fornicationi non addere. Non tanta videtur esse differentia inter voluntariam virginitatis amissionem in viro et in puellâ, ut una sit mortalis et non altera; ergo, etc.

Testatur *Billuart, t. 13, p. 360, se*, antequàm huic opinioni adhæsisset, graves passum esse et aliis creasse molestias in interrogationibus istis faciendis, et rarò sibi satisfactum fuisse.

Fatemur et nos hoc ipsum nobis non semel accidisse in primis sacerdotii nostri annis. Idcirco à pudendis hujusmodi quæstionibus cautè abstinemus, quoties importunæ videntur, his rationibus innixi; 1<sup>o</sup> probabilitate opinionis modò expositæ; 2<sup>o</sup> difficultate executionis alterius sententiæ; 3<sup>o</sup> periculo scandalizandi pœnitentes, eosque à tribunali sacro avertendi; 4<sup>o</sup> bonâ fide in quâ communissimè versantur fideles circa obligationem talem circumstantiam declarandi: integritas autem confessionis non obligat cum tanto incommodo.

#### ARTICULUS TERTIUS.

##### *De raptu.*

Duplex distinguitur raptus, juxtà ea quæ diximus in tractatu *de Matrimonio*, raptus, scilicet, violentiæ, et raptus seductionis.

1<sup>o</sup> Raptus violentiæ, prout hic intelligimus, est subductio personæ, ipsâ invitâ, è loco tuto in locum ubi est sub potestate raptoris, libidinis explendæ causâ.

Hanc definitionem, ut potè alibi probatam, iterùm evolvere non intendimus. Advertemus tantùm raptum versari posse circa personam cujuscumque sexûs vel conditionis, nec adeò necessariam esse circumstantiam abductionis è loco in locum, quòd si, reipsâ, persona libertate privatur et sit sub potestate raptoris constituta, non sit verè raptus.

Diximus tantùm *libidinis explendæ causâ*, quia de raptu ineundi matrimonii causâ alibi tractavimus.

Violentia autem physica vel moralis esse potest, quod facilè apprehenditur.

2<sup>o</sup> Raptus seductionis locum habet quandò mulier blanditiis, muneribus, promissis, illecebra voluptatis aut quolibet alia modo illecta, raptorem, invitis iis à quibus pendet, sequitur, aut in locum assignatum voluntariè transit.

Raptus sic definitus est species luxuriæ distincta, in confessione declaranda. Nam in eo peccato, præter malitiam castitati adversam, graviter læditur justitia ergà personam cui vis infertur et ergà eos à quibus pendet, nec ipsum contrà castitatem peccatum eodem modo ac in aliis casibus, adulterii, verbi gratiâ, vel stupri, admittitur; undè hæc circumstantia in confessione est aperienda.

Excommunicatio à Concil. Trid. *sess. 24, cap. 6, de ref. matr.*, contrà raptos et auxilium eis præbentes lata, per raptum violentiæ, ipso facto, incurritur, non verò per raptum seductionis. Hæc excommunicatio in Galliâ locum habet.

Insuper, raptor tenetur, jure naturali, puellam loco tuto redditam factamque liberam ducere, si ipsa velit; vel decenter dotare, et nihilominus ipsi ac parentibus ejus convenientem satisfactionem exhibere.

Qui autem ad raptum efficaciter cooperati sunt, totam injustitiam cum erga puellam, tum erga parentes ejus, quantum fieri potest, defectu raptoris reparare tenentur.

Ad raptum aliquo modo referri possunt violentia simpliciter dicta mulieri illata, violatio puellae dormientis aut ebriae, corruptio non violenta personae usum rationis non habentis, vel hoc peccati genus ignorantis. Similia respectu viri, rarius quidem, fieri possunt, et revera aliquando facta sunt.

Non autem per has nefandas actiones incurritur excommunicatio à concilio Trid. lata, quia non constituunt raptum proprie dictum ad sensum concilii.

*Queritur* quid agere debeat mulier vi oppressa, ut coram Deo non peccet.

R. Tenetur 1° voluptati interius non consentire, quantacumque vis externa ipsi inferatur: alioquin mortaliter peccaret; 2° totis viribus se defendere, videlicet manibus, pedibus, unguibus, dentibus, quibuscumque instrumentis, non tamen occidendo nec graviter mutilando invasorem juxta multos, quia vita et praecipua membra corporis praestant honori, materialiter tantum offenso, ut hic supponitur. Alii verò multi contrarium affirmant, ob rationes in *Institutionibus nostris theologis*, t. 5, p. 429,

6<sup>a</sup> edit. expositas; 3° si spes auxilii ipsi affulgeat, clamare debet et opem alienam invocare; si enim pro posse exterius non resistat, consentire censetur: porro millies potius moriendum esset, quam tali periculo cedendum.

Unde puella in hac extremitate constituta, merito timens ne sensationibus venereis assentiat, clamare tenetur, etiam cum manifesto vitae dispendio, et tunc futura est martyr castitatis: ita communissimè auctores, contra paucos probabilistas. At, secluso periculo proximo assensus, communiter docetur puellam clamare non teneri cum evidenti periculo vitae aut famae, quia vita et fama sunt bona altioris ordinis. Sed ferè impossibile est abesse periculum, ut notat *Billuart*, t. 13, p. 368.

## ARTICULUS QUARTUS.

*De adulterio.*

*Adulterium, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum torum, inquit S. Thomas, 22, q. 154, art. 8.* Tripliciter committi potest, scilicet, 1° inter conjugatum et solutam; 2° inter solutum et conjugatam; et 3° inter conjugatum et alienam conjugem.

Adulterium in triplici casu speciale est luxuriae peccatum, et quidem gravissimum, idque constat Scripturam Sacram, SS. Patribus, praxi Ecclesiae, populorum consensu et ratione.

1° Scripturam Sacram: *Deut. 22, 22: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter et adultera, et auferes malum de Israël.*